



1729/18

DE
FOEMINARVM
IN FEVDIS
SUCCESSIONE

IN VSVM
GENEROSISSIMORVM
ET NOBILISSIMORVM AVDITORVM
SVORVM
DISSERIT

NEC NON
PRAELECTIONES SVAS
PER SEMESTRE ÆSTIVVM HABENDAS
INTIMAT

ABRAHAM KAESTNER,
BAARENST. MISN.
IVRIVM DOCTOR ET PRACTICVS.

LIPSIÆ
LITERIS SCHEDIANIS.



§. I.



Imo mortalium facile inficias ibit, rerum omnium æternam esse vicissitudinem; Solem occiduum sequitur novus exorians; Animantium genus nova tuetur ab interitu progenies; Emortuam planta restituit arborem; Imo & res inanimatæ aliæ aliarum locum occupant: Quid igitur mirum, si & dominii jurisque vicaria & ambulato-
ria potestas? Hanc nostrates successione dicunt, & quidem optime; Cedit enim decedens, alijs-

que vices ejus tenens succedit, seu in locum ipsius venit defunctumque fictione quadam juris repræsentat. Infinitæ vero intuitu successionis inter Doctores ortæ sunt lites, ex quibus unicam saltem, quoad successionem feminarum in feudo, si scilicet hoc, quod ab initio feudum ex pacto & providentia fuit, deinde in hæreditarium sit transmutatum, in sequentibus recensabo.

§. II. Feminas in successione hæreditatum olim longe deterioris conditionis fuisse quam masculos, haud obscure *Lex Voconia* docet, qua certus, ab ejus Autore **QV. VOCONIO SAXA TRIB. PLEB.** modus præferibebatur successionebus feminarum; Non enim qui *Census erat.* i. e. qui centum millia sestertium possidebat, virginem aut mulierem ultra quadrantem suorum bonorum hæredem instituere, neque plus ei legare poterat. Nec feminae ultra consanguineos ab intestato succedebant. Sic fratris filius ad successionem sui patris quidem vocabatur, germana autem ab eadem successio-

cessione excludatur. *v. l. 14. C. de legit. hered. Confer. plurib. JACOB. PERILON. de lege Voconia feminarumque apud veteres hereditatibus, (que intriade Dissertat. PERILON. quam divulgavit Heineccius, est II.)* Equidem hoc discrimen IMPERATOR IVSTINIANVS sustulit, statuendo, in posterum has personas æquali cum masculis jure censi debere, nec amplius hanc differentiam sexus attendendam esse, *d. l. 14.* Legem tamen Voconiam & veteris juris observantiam tanquam æquam satis defendere conatur BACHOV, *ad §. 8. Instit. de hered. que ab intest. def. & quidem sequentibus rationibus.* 1) Quod ejus observatione splendor atque dignitas familiarum conservetur. 2) Quod feminae sint extra familiam. 3) Quod omnes mortales immortalitatem nominis quærant, hanc autem per filias obtineri non posse. 4) Quod indignum sit bona magno sudore parta in alienam transferre familiam. 5) Quod mulieres dotatæ & divites, sint feroces, superbae, & in ipsos viros imperium affectent. Quas, JCTi alias acutissimas rationes, quantum ponderis habeant aliis ad deliberandum relinquimus. *Conf. EYBEN, in Elect. Jur. Feud. Cap. VI. p. m. 567.*

§. III. Quicquid tandem sit, simpliciter certe injustum non est, feminas interdum a successione repelli, quod satis apparet ex jure feudali hoc enim certo certius est, a successione feudorum feminas regulariter excludi. Cum successione tamen confundenda non est feudi acquisitio; Acquirere enim femina feudum omnino regulariter potest, cum nullibi hoc sit prohibitum, & dominus scienter investiendo feminam juri suo renunciasset & substitutum ad servitium admisisse præsumitur. *v. STRVV. S. J. F. Cap. V. th. 12. princ. LVDW. p. 114.* Non obstat feminas esse ineptas ad militiam, nec secreta Domini ob levitatem retinere, nec consilio Domino adesse posse, quod tamen a Vasallo requiritur. *II. f. 24.* Respondetur enim: Non omnia feuda esse militaria; deinde dominum hoc casu gratiam secisse videri, ut femina per substitutum servire possit; accedit & hoc, quod feminæ reperiantur non paucæ, quæ & taciturnitate & consilii dexteritate viros nonnullos superant; ut igitur vix valida ratio dari possit, quæ feminam a feudi novi acquisitione arceat.

§. IV. Aliud autem statuendum est de successione in feudis, ubi feminæ omnino regulariter excluduntur; Cujus rationem JVL. CLAR. *lib. IV. sentent. §. feudum, qu. 73.* præter rationem, adeo difficiliter indicat, ut voluntatem disponentis pro ratione habendam existimet. BALDVS *in l. quoties 12. C. de suis & legit.* hujus rei sequentes quinque adfert rationes: 1) quia arma ferre non possunt, 2) propter publicam honestatem, quæ non patitur feminas interesse virorum cœtui. 3) propter

fragilitatem consilii, 4) propter lubricitatem voti. 5) propter periculositatem secreti. Conf. SONSBE. *Tract. de Feud. P. IX. n. 120. p. m. 136.* Alii alias adhuc excogitant ratiunculas, in quas in præsentiarum longe inquirere nec animus est, nec chartæ angustia permittit; Hoc vero certum est & neminem fugit, feuda regulariter ob servitia militaria concedi, ad quæ, cum fœminæ minus idoneæ sint, nec consilio, nisi fragili, Dominum juvare potentes sint, a feudi successione removentur. v. *l. f. 1. §. 3. II. f. 11.*

§. V. Quicquid de fœmina dictum, illud etiam ad masculum ex fœmina natum extenditur, *II. f. 11. in verb. Ad filias vero seu Neptes vel Pronepotes, vel ex filia Nepotes seu Pronepotes successio feudi non pertinet.* Neque immerito: quoniam infecta radice, infectum est omne, quod ab ea descendit. *L. 3. C. de bon. matern. l. 31. de S.R.P.* nec potest melior esse conditio successoris, quam ejusdem auctoris *l. 143. de R. J. ac insuper feuda familiæ causa sunt concessa, FORSTER. de Success. Lib. IV. Cap. 23. n. 48.* atqui fœminæ nubendo mutant familiam, hinc, cum sit quasi finis familiæ ex qua descendit, v. *l. 195. §. f. de V. S.* ex illa originem trahentes, in materia feudali, ab avi materni successione excludendi veniunt omnino. Successiones scilicet non sunt per saltum, sed servato juris ordine, ita ut si præcedens gradus successionis capax non sit, neque sequens admitti potest. a. §. 7. *instit. de legit. agn. succ.* JACOB de BELLOV. *ad Cap. quia §. hoc autem notandum. l. f. 1. ibique ANDR. de ISERNIA n. 19.*

§. VI. Dixi regulariter fœminas in feudis non succedere. Limitatur autem hæc regula 1) si consuetudine vel statuto aliud receptum, STRYKIVS *E. J. F. C. XV. qu. 12.* 2) si specialiter in investitura dictum & cautum sit, ut fœminæ quoque succedant, *l. f. 1. §. 3.* quale exemplum in feudo *Baronia de Mortaigne* refert CHRISTINEVS, *Vol. 1. Dec. 394. n. 4.* 3) in feudo franco seu honorato. STRVV. *S. J. F. C. IX. th. 8.* Conf. HORN. *de feudo franco. Dissent. LVDW. p. 190.* 4) in feudo, in quod jure francorum, (i. e. secundum consuetudines inter francos receptas) succeditur. RHETIVS *Comment. Feud. p. 12. n. 8.* HORN. *Jurispr. Feud. Cap. XV. §. 7. p. m. 310.* 5) in feudo Fuldensi; masculis nimirum deficientibus. v. COCCEJ. *de Feud. Fuldens.* 6) in feudo Censuali & Laudemiali: quia & ipsæ censum vel laudemium solvere possunt; nisi simul præstanda sint servitia militaria. LVDW. *p. 261.* 7) in feudo pignoratio, quod multis argumentis & rationibus probat eleganter RAVCHBAR. *qu. 37. 8.)* in feudo feminæ, *l. f. 8. II. f. 30. & 50.* 9) in feudo mere hæreditario. SCHRADER. *de feud. P. VII. C. 3. n. 1.* Conf. BARTH. *de successione fœminarum in feudis, earumque exclusionem per masculos. Lips. 1701.*

§. VII.

§. VII. Cum vero sæpillime de distinctione feudi *feminini* & *hereditarii* inter DD. disceptetur, quando de *feminarum* in his feudis *successione* quaestio movetur. Sciendum ante omnia, quod *feudum femininum* five *muliebri* proprie sit, de quo *mulier primum fuit investita*, five *quod in femina acquirente primas radices agit* v. CARPL. P. III. C. 28. d. 10. n. 2. ad personam enim concedentem, quod quidam perperam statuunt, respiciendum non est. Variæ autem de *successione* in hoc feudo enatæ sunt opiniones. Quidam enim *liberos etiam masculos a successione feminarum* excludunt; Alii ex æquitate *filios admittunt, filiabus exclusis*; Porro alii *feudum femininum ad filios, & iis deficientibus, ad filias demum transire debere, statuunt*; alii denique tunc demum *filiam admitti debere* asserunt, cum speciali pacto *filiabus provisum sit*, v. BORCHOLT. de Feud. Cap. VII. n. 69. p. m. 417. seq. Mihi ea sententia, quæ *feminas citra pactum expressum, deficientibus masculis, indistincte ad successionem admittit, si feudum a femina primum acquisitum, verissima semper visa fuit, l. f. l. §. 3. l. f. 8. §. 14. ibique Dd. j. II. f. ii. §. 50.* Cui opinioni ALVAROTT. ROMANVS, SONSBECK, FERRARIENS. CVRTIVS, BORCHOLT. HARTM. PI-STOR. lib. II. P. 2. q. 34. n. 37. & plerique alii calculum addunt, Conf. CARPL. P. III. C. 28. d. 10. it. TEXTOR. in Praxi Judic. P. II. C. I. n. 75.

§. VIII. De feudo *hereditario*, quænam sit hujus *indoles & natura*, late hic inquirere institutum non patitur; *distincte autem hanc perhibet HORN. in Jurispr. feud. C. IV. §. 33-36.* Pro materia substracta mihi saltem hic dicendum cum STRYK. E. J. F. C. XV. qu. 10. in hoc etiam *feminas ad successionem esse admittendas.* Quam tamen sententiam non de alio feudo *hereditario, quam tali absolute, intelligi volo, v. GAIL. lib. II. O. 154.* *fecus si solum quoad modum succedendi, in quo soli masculi, ordine tamen eo, quo in bonis allodialibus, succedunt, quod in iis, quæ successio-nem non respiciunt, adeoque quoad servitiorum præstationem, & per consequens respectu feminarum, retinet propriam feudorum naturam; in quo feminae non succedunt.* Et de hoc feudo accipiendus est CARPL. P. III. C. 28. d. 11. conf. STRVV. S. J. F. C. IV. aph. 13. Mere vero & absolute *hereditarium feudum voco, quod ea lege & conditione datum est, ut naturam habeat bonorum allodialium, excepta fidelitatis præstatione.* In hoc igitur, uti in aliis rebus allodialibus merito *feminæ non saltem ad successionem sunt admittendæ, sed etiam, uti ex Responso mox adducendo, apparet, suo modo, masculos excludunt.*

§. IX. Quæ §. præced. adduxi, eo etiam casu procedunt quando *feudum ex pacto & providentia in feudum hereditarium absolute tale*
) (3 est

est mutatum; scil. Dominus directus, qui rei qualitatem feudalem imponere, eandemque rursus adimere valet, a l. 46. de acquir. vel. amit. poss. l. 80. de solut. l. 35. de R. J. Nec refert, Majestatem vel potestate territoriali præditus sit Dominus nec ne, siquidem jus superius Domino qua tali in feudo competens ad hanc facultatem per se est sufficiens, nec alio insuper opus habet adminiculo; modo in feudo veteri agnatorum, vel pro re nata, simultanee investitorum consensus accedit; Illis enim per primam investituram ita jus est acquisitum, ut sine eorum culpa aut factio mutatio quædam suscipi non possit II. f. 29. WESENB. Conf. 4. vers. nec. deinceps. Quoad simultanee investitos autem conjuncta manus in locum agnationis successit. v. HARTM. PIST. lib. 2. qu. 20. n. 27. 28. CARPL. lib. VI. Resp. 77. n. u. qua etiam jus, non conditionale, sed purum acquiritur. CARPL. c. 4. ex quo nulla in præjudicium illorum valet transmutatio. v. BORN. de transmutat. feudi in allod. c. 10. §. 11. In hoc autem feudo, quod dicto modo in feudum hæreditarium a Domino directo est mutatum, feminæ etiam ad successionem admittuntur, & certo respectu masculinum excludunt, uti pronunciauit inchoyus Scabinatus Lips. mens. Maj. 1694. quod responsum, quia hucusque dicta reddit clariora, verbotenus huc apponam:

Als der Herr uns die zwischen demselben und Fr. Victorien Eugendreich von W. ergangene Acta in dreyen Voluminibus benebst unterschiedenen Fragen zugeschicket, und sich des Rechts darüber zu belehren gebethen, demnach sprechen wir Churfürstl. Sächsl. Schöppen zu Leipzig darauf vor Recht, und zwar anfangs auf die erste und sechste Frage: Hat desselben Bruder, Herr Cleuther von T. unter andern das Lehn-Guth Micka hinter sich verlassen, dessen denn die einzige damahls verlassene Tochter, u. nachdem solche ebenmäßig mit Tode abgegangen dero Fr. Mutter Fr. Victoria Eugendreich gebohrene von K. u. jeko vermählte von W. sich angemahlet, dahingegen der Herr, daß ihm die Succession daran gebühre, vermeinet, auch daher wieder jekt befagte Fr. von W. feudi renocatoriam angestellt; diese aber hinwiederum auf die in Actis Vol. I. fol. 33. befindliche gnädigste Concession, darinne dieses Guth Micka, so hiebevör Manns-Lehn gewesen, in ErbLehn verwandelt, sich beziehet, auch daraus behaupten will, daß nach solcher Verwandlung dieses Guth der Beschaffenheit sey, daß darinne zu fürderst die Tochter denen Rechten gemäß succediret, u. bey ihren Absterben die Fr. von W. als leibliche Mutter nach Erbgangs-Recht damit befället worden; Und verlanget diesen nach der Herr, obbesagte Ver-

Verwandlung des Mann-Lehns in Erb-Lehn dergleichen Effect habe, oder nicht vielmehr zum wenigsten dem Herren nach seines Bruders Tochter Absterben die Succession mit Ausschließung der Mutter gebühre? Des Rechts berichtet zu seyn. Ob nun wohl die transmutation feudii Masculini in feudum hæreditarium, kein gänzlich allodium machet, sondern derselben ungeachtet die qualitas feudalis auf gewisse Maasse übrig bleibt, allhier auch insonderheit ausdrücklich vorbehalten, daß diese Verwandlung der Lehn-Folge, denen Ritter-Diensten und andern dem Lehn-Herrn zustehenden Rechten und Gerechtigten ohne Nachtheil und Schaden seyn solte; Hiernächst auch der Herr in den Gedanken stehet, daß durch diese Verwandlung das Mann-Lehn bloß zum Weiber-Lehn worden, und darinnen zwar deficientibus masculis, die von den Possessore postereirende Verfohnen zur Succession gelangen könnten, die Mutter aber, als eine persona extranea, und welcher ohnedem im Lehn keine Succession gebührete, dessen sich nicht zu erfreuen hätte, und deswegen, wenn auf die Tochter, auch gleich vor dem Herrn, das Guth gefallen, jedoch nummehro nach ihrem tödlichen Hintritt, solches auf ihn gebracht worden, und die Mutter davon auszuschließen; Da aber dennoch der klare Buchstabe angeregter gnädigster Concession deutl. bezeuget, daß die Verwandlung nicht in blosses Weiber, sondern in ein rechtes Erb-Lehn geschehen, und das Guth Nicke hierdurch die Eigenschaft erlanget, daß diejenigen, welche so wohl ex linea ascendente & descendente, als sonst ab intestato in dem Erbe zur Succession gelassen werden, hierinnen succediren, nicht anders, als wenn das Guth ein wahrhaftes allodium wäre; So ist auch mehr besagte gnädigste Concession allerdings der Wirkung, daß nach des Herrn Bruders tödlichen Hintritt, der Tochter, und nach dieser Absterben, der Fr. Mutter die Succession gebühret, der Herr aber davon zu excludiren.

Plura equidem de hac materia utilissima & in foro sæpe obviente, adduci potuissent, nisi nunc etiam id agendum, cuius rei gratia hæc potissimum sunt conscripta; scil. Collegia, quæ ante semestrem spatium indicavi, annuente Divino Numine, feliciter abolvi; Vt vero Nobilissimi Domini Commilitones, quibus hucusque fidelitas industriaque mea arrisit, vel etiam alii, qui in posterum opera mea uti volunt, sciant, quænam per semestrem æstivum sum habiturus, paucissimis hæc notificare volui; sunt autem sequentia:

I. COL.

- I. COLLEGIVM ELABORATORIO-PRACTICVM** inchoabo, in quo, more hucusque observato, membra collegii *Libellos, Memorialia, Lectiones, Appellationes, Positiones, &* quæcumque indoles processus requirit, *proprio Marte* conficiunt, sicque tam in *Prima* quam *Secunda*, seu Appellationis Infantia, stylum Curia, methodo admodum facili, addiscunt. Hora VII-VIII.
- II. COLLEGIVM PANDECTARVM** in Schöpfferi Synopsis juris privati, in quo hucusque *τὰ πρῶτα* absolvimus, continuabo. Hora VIII-IX.
- III. INSTITVTIONALE**, in ipsum Institutionum Imperialium textum de novo incipiam. Hora X-XI.
- IV. STRYKII EXAMEN JVRIS FEVDALIS**, sum prælecturus. Hora II-III.
- V. PRAEPARATORIO-PRACTICVM**, omnibus, etiam iis, qui nunquam Praxi forensi operam navare cupiunt, sed in Theoreticis, materias practicas saltem, rite percipere volunt, apprime utile, *juxta propria præcepta, (mox v. D. typis mandanda)* de novo exordiar. Hora IX-X. diebus ξ & η .
- VI. REPETITIONI** vero eorum, quæ in Lectorio antea proposita sunt, Hora II-III. die ζ & **EXERCITIO DISPVTATORIO**, eadem hora die ξ destinata manebit.
- VII. PRIVATISSIMIS** denique **COLLEGIIS** ab Hora III-IV. vacabo. De methodo quomodo singula Collegia tractari debeant, ut multa proferam supervacaneum mihi videtur; Illi enim, quibus hucusque doctrina mea non displicuit, eam intelligunt satis, ignaris vero, *more Comitorum* illam verbis phaleratis saltem depingere, sufficere non potest, cum verba & facta haud raro diversa deprehendantur. Optimum itaque remedium erit, ut ipsi me adeant, & postea, *sobrie tamen & cum judicio*, de illa judicent. Omnium enim *Auditorum meorum* salus, quod publice hic profiteor, semper curæ cordique mihi fuit & in posterum erit. Initium dictorum Collegiorum *futuro die XXIII. Maji* sum facturus; singula vero *auxiliante Divina gratia*, per instans æstivum ad finem perducam. Faxit *Numen Immortale* ut omnia feliciter eveniant! Dabam Lipsiæ & Musæo, Dom. Jubilate. A. O. R. clo 1o ccxxix.

F I N I S,



Leipzig, Diss., 1725 A-L

ULB Halle
005 359 244


3



VD 18







1729, 18

DE
FOEMINARVM
IN FEVDIS
SVCCESIONE
IN VSVM
GENEROSISSIMORVM
ET NOBILISSIMORVM AVDITORVM
SVORVM
DISSERIT
NEC NON
PRAELECTIONES SVAS
PER SEMESTRE AESTIVVM HABENDAS
INTIMAT
ABRAHAM KAESTNER,
BAERENST. MISN.
IVRIVM DOCTORET PRACTICVS.

LIPSIAE
LITERIS SCHEDIANIS.